



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

10. de missione angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

0.34. **C** Regor. Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam credimus tantos humani generis ascendentes, quantos illic contingit Angelos remansisse, iuxta illud Deut. 32. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorū Dei. homines autē reparari iuxta numerū eorum qui ceciderunt Angelorum, videtur sentire Aug. in Enchirid. ita dicens: Superna Hierusalem, mater nostra, ciuitas Dei, nulla ciuiū suorū numerositate fraudabitur, aut vberiore etiam copia fortasse regnabit. Vbi apertē dicit nō minus de hominibus saluari, quā corruit de Angelis: sed plus non asserit.

f. 103. b. l. 3.
et 123^a l. 23

DE MISSIONE ANGELORUM.

D I S T I N C T. 10. C A P. Primum.

Angeli inferiores mittuntur.

D An. 7. Milia milium ministrabant ei, & decies centena assistebāt ei. Item Dio. in Hierarchia, quæ sacer principatus dicitur, de prelacione spirituum ait: Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedūt, quoniam ea quæ præeminēt, vsum exterioris officij nunquam habent, id est rarissimē ad exteriora prodeunt.

C A P. Secundum. Superiores quandoque mittuntur.

Esaïas ait, Volauit ad me vnus de Sera-^{cap. 6.}
 phin. qui ordo superior est & excellen-
 tior. Quòd si de ordine illo mittuntur,
 non est ambigendum, quin etiam de aliis
 mittantur. vnde Apostolus ait, Omnes sunt ^{Heb. 1.}
 administratorij spiritus. Nec debet indignū
 videri, si etiam superiores mittantur, cū &
 ille qui creator est omnium, ad hæc inferio-
 ra descenderit. Et sic omnes quidem mit-
 tuntur: sed alij sæpius, & quasi ex officio in-
 iuncto, qui propriè Angeli & Archangeli
 nominantur: alij verò rariùs, scil. maiores.

Quãuis dicant quidam omnes admini-
 stratores spiritus, scil. eos qui sunt inferio-
 rum ordinum. & ad Esaïam dicunt, quòd ij
 spiritus qui mittuntur, percipiunt horum
 vocabulum, quorum gerunt officium. vnde
 dicunt Angelum illum missum ad Esaïam,
 vt mundaret & incenderet labia Prophetæ,
 fuisse de ordine inferiorum. Sed ideo dictus
 est esse de Seraphin, quia veniebat incēdere
 & consumere delicta Esaïæ. Et sic secundum
 hos hæc nomina, Michael, Gabriel, Ra-
 phael, non vnus sunt singulariter, sed com-
 munita pluribus, secundum qualitatem eo-
 rum, ad quæ nuncianda vel gerenda mittun-
 tur. sicut & dæmonum nomina communia
 sunt, vt Diabolus, Sathan, Belial, Leuiathan.
 Alij autem dicunt illa nomina Angelorum
 & dæmonum quædam singulariter dici.